EPISTOLA
PASTORALIS

EXCELLENTISSIMI ac REVERENDISSIMI DOMINI

ARCHIEPISCOPI MECHLINIENSIS.

BRUXELLIS
Typis SIMONIS T.SERSTEVENS, Typographi Excellentissimi & Reverendissimi D. Archiepiscopi Mechliniensis.

JUSSU

ILLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI

CHRISTOPHORI ANTONIJ de Słupow

SZEMBEK

EPISCOPI POSNANIENSIS, typis quoquè mandata.

Eo consilio

Ut Grex Domini sibi commissus ab ijs, qui Constitutionem *Unigenitus*- in Regno Poloniæ ac Universo Catholico Orbe receptam admittere recusant, sese penitùs avertat, summumquè Pontificem Christi Vicarium in docenda Orthodoxâ veritate erroris expertem debitâ verâquè cum obedientiâ & audire, & venerari pergat.

Adjunctæ sunt in fine Literæ summi Pontificis CLEMENTIS *XI. in eadem Materia.*

Reimpressum Varsav: Typis S. R. M. Scholarum Piarum.

August: Serm: 2. de Verbis Apostoli sub finem.

Rescripta venerunt(à Sede Apostolica) Causa finita est, utinam aliquando finiatur error:

Aug: lib: 4. ad Bonifacium cap: ult:

Aut Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernities damnaretur? quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi Congregatione damnata sit. Cum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas talis necessitas extiterit.

Hyeronimus Ep. 57. ad Damasum.

Cathedræ Petri Communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio, quicunq; extra hanc Domum Agnum comederit, prophanus est. Si quis in Arca Nöé non fuerit, peribit regnante diluvio.

S. Cyprianus lib. de unitate.

Qui Cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia deserit: quomodo in Ecclesia se esse confidit.

THOMAS PHILIPPUS
DE ALSATIA, DE BOUSSU,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ Archiepiscopus Mechliniensis, Primas Belgij, Sanctissimi Domini Nostri, Domini Clementis Papæ XI. Prælatus Domesticus, ad Exercitus Cæsareo-Regios Delegatus Apostolicus, Sacræ Cæsareæ, Catholicæque Majestatis Actualis Intimus Consiliarius. &c.

Universo Clero & Populo Diæcesis Nostræ, Salutem in Domino.

EX quo in partem Sollicitudinis Ecclesiæ, nullis nostris meritis vocati sumus, non sinè ingenti cordis nostri amaritudine, abominationem stantem in loco sancto, ferre debuimus; scandalum à Sacerdotio, fu-

mantem non procul à Nobis, & tantùm non in flammas erumpentem, ab ipsis Pastoribus Ecclesiæ perniciem, dum Fratres ipsos nostros aliquos vidimus, quorum erat, gregibus suis præire, in amplectendo eo, qui secundùm doctrinam est, fideli summi in terris Christi Vicarij sermone, non jam in doctrinâ sanâ fideles exhortari, aut qui Apostolicis rescriptis contradicerent, arguere; sed prô dolor! eos ipsos esse, quos meritò perstringit Apostolus, ut inobedientes, vaniloquos, & seductores; utpote, qui inaudito pertinaciæ exemplo, seditionis suæ scandalum toto quinquennio eousque diffundere ausi sunt, ut quod tantopere Gentium Doctor horrebat, ipsimet subversores dici debeant, infestis Ecclesiæ hostibus ansam præbentes, ut blasphemetur verbum Dei. In re, uti hodie notissimâ, sic maximè deplorandâ versamur, Dilecti Filij, quæque Nobis gravissima afflictio est, cùm & in adversâ parte rebelles Ecclesiæ filij ipsum totius mali auctorem in sinu suo nutriant, foveantque, ex mutuâ ambarum factionum Communicatione per

Belgi-

Belgium Catholicum, & præcipuè per Diœcesim nostram perniciosa zizania diffunduntur, quæ probè intelligimus, sic præterfluere non posse, quin alveum, per quem manare necesse est, sensim inficiant, Atquè ea causa fuit, quæ summam animo nostro formidinem incussit, cùm primùm ad hujus Metropolitanæ Ecclesiæ regimen, quantumvis immeriti, ex supremi Patris familias dispositione admoti sumus; supremum Ecclesiæ Caput sæpè deprecati, ut gliscenti in dies malo, & per hanc Diœcesim nefandis scriptis, turpissimisque libellis serpenti, desideratum juxta, ac necessarium remedium promptissimè porrigeret. Eò Nos etiam impellebat urgentissima ratio, quod occultis, sed malignis sermonibus, non hìc solùm, sed vel in ipsis Principum Aulis spargi sciremus, Constitutionem ipsam *Vnigenitus* ab omnibus Belgij Episcopis tantâ cum reverentiâ susceptam, & publicatam, necdum in hisce partibus (quæ obstinatorum oratio est) tamquam Fidei Regulam admitti, nimirum, quam explicaturus esset is, qui eam condidit sum-

mus

mus Ecclesiæ Rector; ut proindè, qui nihil minùs quærerent, quàm finem erroris, causam necdum finitam esse insigni, sed familiari sibi fallaciâ asserere non erubescerent. Planè confidimus, vestrum non esse hunc sermonem, sed novatorum, sed Ecclesiasticæ pacis, & tranquillitatis perturbatorum, quales nec in hoc Belgio deesse vehementissimè dolemus. Vobis suffecit, imò vix necessaria fuit, nova illa contra toties damnatos errores Constitutio; ast eam à summo Pastore vulgatam, ut obedientes Filij continuò acceptastis, atq; ut verissimã fidei normam suscepistis. Iniquitatis Filij erant, quos ea meritò corripuit, quosque, jam diximus, omnes Christianæ modestiæ, gravitatis, & verecundiæ limites transgressos, dum in Petri Cathedram rebelles auctores se turpissimi schismatis apertè professi sunt, examen quærentes, quod apud Apostolicam Sedem diligentissimè factum probè noverant; cum eorum contumacia non adhuc examinanda, sed coercenda esset à Potestatibus Christianis. Et hi quidem insolentissimè audaces pergunt

hactenùs

hactenùs immobili fidei nostræ fundamento intolerabili temeritate refragari. Nimis longum foret, ea hic sigillatim enarrare, quæ Pater optimus, & Clementissimus incredibili lenitate tot annis præstitit, quo cæcè aberrantes, & devios ad unionem reduceret; ea Vobis ob oculos posuerũt, quas vidistis Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Literæ, datæ XVI. Novembris M. DCC. XVI. tum verò subsecutum Breve Apostolicum XX. ejusdem Mensis, & Anni, quo paternè exponit Gregis Dominici patiens juxtà, ac sedulus Pastor, propriam æterni Pastoris, cujus partes gerit, longanimitatem imitatus, quot laboribus, vigilijs, ac studijs curaverit, & intenderit, ut gravissimos errores, qui dare in ruinam poterant plurimas Christi oves, radicitus convelleret; quæ porro præstiterit, ut dissidentes Galliæ Episcopos ad optatam cum Fratribus concordiam revocaret, atque ad debitam Constitutioni suæ obedientiam alliceret, omnibus lenitatis, ac patientiæ officijs benignissimè usus, cæteque argumentis, quotquot Christiana, & Ponti-

& Pontificia charitas ſuggerebat. Paradoxum ſanè aliquando videbitur, in ipſo Sacro Epiſcopatûs ordine tam indocilis, tam præfracti animi Præſules, eoſque pauciſſimos reperiri potuiſſe, qui contrà univerſam cum Capite Eccleſiam tam fœdè obluctarentur. Neque tamen ibi ſtetit immenſa propè communis Eccleſiæ Patris charitas: Etenim toto fermè biennio jam dictas Literas ſecuto, non ceſſavit ab adhibendis medijs, hortationibus, & precibus, quibus diſcordantium iſtorum animos permoveret. At, cum ea omnia proſperum, quem ſummoperè præſtolabatur, exitum minimè habuiſſent, victus tandem paucorum iſtorum Antiſtitum incredibili audaciâ, ſupremo Divini Paſtoris mandato, quo & illius oves paſcere, & Fratres ſuos confirmare præcipitur, deeſſe, nec poſſe, nec debere æquiſſimè exiſtimavit, quique adeò tentatis inutilitèr conſilijs pacis, eàtenus ſiluerat, adhùc ulterius tacere ſibi nòn tutum, Chriſtiano autem Populo perniciosum, meritò cenſuit. Ad Vos proinde Paternas ſuas voces, Spiritu Sancto plenas, diri-

dirigit ſolicitus univerſæ Eccleſiæ Speculator, in poſtremis ſuis literis 28. Auguſti labẽtis anni datis. Lætitiæ noſtræ participes Vos facimus, dũ ſummâ voluptate Os Domini denuò locotum annuntiamus, quo tandem aliquando aut perſtrepentium iniqua obſtructum iri, confidimus. Qui noſtri conatus in eundem ipſum finem hactenùs fuerint, neminem veſtrum ignorare, certò credimus. Inconditum illum, & in Eccleſiâ Catholicâ prorſus inuſitatum, à Sede Apoſtolica in rebus Dogmaticis appellandi modum, egregiè confutatum, & penitùs convulſum, ſingulari in eam rem edito opuſculo, pro eâ parte à Nobis approbato, luculenter oſtendimus, ſubjunctis ei Eccleſiarum omnium totius propè orbis Catholici authenticis teſtimonijs de Bullâ *Vnigenitus* ubique ultrò admiſsâ, ubique debitè publicatâ, ubique Catholicè propugnatâ, ut diſcoli illi, & immorigeri, niſi in ſole meridiano cæcutire vellent, lucidiſſimè perſpicerent, inanes eſſe clamores ſuos, quibus Concilium œcumenicùm fruſtrà ingeminant, cujus membra

omnia expressis argumentis, turpissima eorum, & ab hæreticis indignè emendicata effugia, jam tum solidissimè enervassent, confecissentque. Sperabamus utique ad tantam veritatis lucem, depellendas omnes errorum, & tergiversationum tenebras, veriturosque adeò paucos illos Episcopos imminens tremendi schismatis periculum, quod scripto altero avertere voluimus, præcisis ijs tricis & nænijs, quas ignoranti Populo, & factiosis suis occinere non desinebant. Cæterùm mirari desijmus, eos vocibus nostris non satis attendisse, qui summo Ecclesiæ Pastori & Doctori, Petræ isti, quam non vincunt superbæ inferorum portæ, obstrependi finem non facerent. Quæ cùm ità sint, Vos hìc iterum Ecclesiarum omnium Episcopi verbis alloquor, Filij dilectissimi, qui, ut loco, ità & periculo propinquiores estis, nolite effici participes eorum, nolite omni spiritui credere, doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci, sed sanam, & orthodoxam S. R. Ecclesiæ Doctrinam, quæ Sacrum Fidei Depositum intemeratè servat, tutò sequimini,

quimini, & firmiter custodite. Eò verò conducet maximè, si procul à contagio vos custodientes, eos omnes sedulò vitetis, quos pestilenti lue afflatos noveritis, quo potissimum collimat Sanctitatis suæ Breve, non alio, quam Dei Zelo, & Spiritu dictatum, videlicèt, ut à Nobis longè sejungantur, qui Nos conturbant. Hinc ad Nos fratresq; nostros, postremâ literarum suarum parte Apostolicæ Dilectionis suæ sermonem convertit, hortans, & obsecrans in Domino, ut pro eo, quo pollemus Pastorali Zelo, commissas Nobis Christi oves à venenatis pascuis, id est, profanarum vocum, & doctrinarum novitatibus sedulò arceamus, simulque paternam ejus solicitudinē, in revocandis ad saniora consilia quibuscunque diffidentibus, efficacius adjuvemus, ità ut Nobis indivulsam cum Sanctâ Romanâ Ecclesiâ in doctrinâ Fidei unitatem, quod omni conatu præstare nūquam destitimus, firmissimè profitentibus, Christiani omnes agnoscant, Nos longè ab ijs esse, qui à Capite Christianæ Religionis se elongaverunt, ac illorum da-

mnabilem inobedientiam unâ cum ipso aversari, & improbare, eosque, nisi resipuerint, à communis societatis charitate, alienos habere. Nihil hìc tergiversandum putavimus, Dilecti Filij, sed Beatissimi Patris, ac universalis Judicis, de cujus judicio disceptare nemo audeat, voci promptissimè obsequentes, unà cũ ipso, imò, & ipsiusmet verbis, Vobis, quin & omnibus, qui ubicumque terrarum Catholico nomine gloriantur, disertissimè profitemur, & declaramus, Nos eos omnes, cujuscumque statûs, gradûs, ordinis & conditionis illi sint, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, aut aliâ quâlibet, etiam Cardinalatûs præfulgeant, qui memoratæ Constitutioni *Unigenitus* debitam, & omnimodam obedientiam præstare hactenùs recusarunt, aut imposterum recusare ausi fuerint, ut veros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Filios non agnoscere, neque ut Summo Pontifici, & Beati Petri Cathedræ, quod falsò autumant, adhærentes, & consentientes, sed contrà potiùs, uti apertè inobedientes, ac notoriè contumaces, & refractarios

habêre,

habere, tenere, ac reputare. Et quoniam primò ipsi à vero Ecclesiæ Capite, & ipsâ sanctâ Romanâ Ecclesiâ, si minus expressis verbis, factis certe, pertinacisque, & obduratæ mentis multiplici significatione recesserunt, illos similiter, quemadmodùm à communi Patre, & ejusdē sanctæ Romanæ Ecclesiæ charitate, sic & à Nobis prorsùs segregatos haberi; & rursùs, ut nulla ipsis cum prædictis summo Capite, & Sanctâ Romanâ Ecclesiâ, sic nec Nobis cum illis ullam deinceps Communionem Ecclesiasticam exstituram; donec (quod faxit Deus) integrè resipiscant, rejectâque penitùs audaciâ refragandi, per exhibitionem veræ obedientiæ, quam complures eorum Romano Pontifici, Beati Petri Successori, ac Jesu Christi Vicario, in ipsâmet solemni professione Catholicæ Fidei, interpositâ jurisjurandi Religione ad Sancta Dei Evangelia, sæpiùs spoponderunt, pristinæ charitati, & unitati ab eâdem Apostolicâ Sede restitui mereantur. Non aliâ monitione, aut paternâ nostrâ exhorta-

tione

tione opus esse, arbitramur, ut vos omnes excitemus, ut Sanctissimi universalis Ecclesiæ Præsidis, nostrumque, & omnium (paucis illis appellantibus exceptis) totius orbis Catholici Episcoporum exemplum, vobis jam abunde compertum, constanter, & inviolabiliter sequamini. Cùm autem errores soli interficiendi sint, homines diligendi, pijssimo voto Nos etiam conformemus, quo Apostolicæ Literæ concluduntur. Utinam, qui Paternis hactenùs clementissimi Patris vocibus reluctati sunt, Nobis non modo arguentibus, obsecrantibus, & increpantibus, sed ab eorum consortio penitùs abstinentibus, erubescant, confundantur, & convertantur, detque illis Deus pœnitentiam, ad cognoscendam veritatem, ut secundùm Apostolicam doctrinam id ipsum tandem dicamus omnes, & non sint in nobis schismata. Simus autem perfecti in eodem sensu, & in eâdem sententiâ, auxiliante nobis per omnia Gratiâ Domini Nostri Jesu Christi, cui est honor, & gloria in sæcula. Amen. Datum Mechliniæ in Palatio nostro

ſtro Archiepiſcopali, convocatis legitimè Admodum Reverendis, ac Venerabilibus Dominis Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ Canonicis Capitularibus, qui Epiſtolam hanc noſtram Paſtoralem approbantes, nobiſcum ſubſcripſerunt die 17. Octobris 1718.

THO. Archi-Epiſcopus Mechlinienſis.

Locus ✠ Sigilli.

SANCTISSIMI DNI: NOSTRI DNI:

CLEMENTIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPÆ XI.

Literæ ad universos Christifideles datæ adversùs eos, qui Constitutioni Sanctitatis Suæ, quæ incipit -- *Unigenitus* -- anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimo tertio, sexto Idus Septembris, editæ debitam obedientiam præstare hactenùs recusarunt, aut in posterum recusaverint.

ROMÆ MDCCXVIII.
Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

Reimpressum VARSAVIÆ
Typis S. R. M. Scholarum Piarum.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum DEI.

Univerſis CHRISTI fidelibus præſentes Literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

PAſtoralis officij, quod ſuperni diſpoſitione conſilij gerimus, cura Nos admonet, ut Animarum ſaluti ubiqué terrarum procurandæ, ac præſertim Orthodoxæ Fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere DEO, puritati ſervandæ omni ſtudio advigilemus. Eapropter cùm in quibusdam ultrà Montes Provincijs, & præcipuè in ampliſſimo Galliæ Regno, varia pravarum Doctrinarum, imò & Hæreſum ſemina, occa-

sione damnati cujusdam Libri Gallico idiomate jam pridem editi, sub titulo: *le nouveau Testament en Francois, avec des reflexions Morales sur chaque Verset &c.* Aliter verò: *Abbregè de la Morale de l' Evangile, des Actes des Apotres, des Epitres de Saint Paul, des Epitres Canoniques, & de l' Apocalypse*: vel: *Pensèes Chretiennes sur le Texte de ces livres sacres &c.*: germinare cognovissemus; ijsdem eradicandis, Nostri non minùs muneris debito admoniti, quàm crebris multorum Catholici Orbis, ac præsertim Galliæ Episcoporum, precibus excitati: quin etiam pijs, ac sæpiùs repetitis claæ mem. Ludovici XIV., dùm vixit, Francorum Regis Christianissimi votis, & officijs adducti, quascunque potuimus Apostolicæ nostræ solicitudinis partes, adjuvante Domino, interponere non prætermisimus. Quæ autem, & quanta in hoc arduo, gravissimoque negotio per plures annos egerimus, & passi simus, quæve inobedientium hominum, & paucorum (quod valdè dolentes dicimus)

illu-

illustrium etiam Ecclesiarum Antistitum veritati non acquiescentium operâ in idem inclytum Regnũ mala provenerint, vobis-ferè omnibus minimè ignota esse existimamus. Postquàm siquidem, Divino inprimis implorato præsidio, curâque omni, studio, ac labore, prout rei gravitas exposcebat, diutissimè collatis, adversùs prædictum librum Constitutionem Nostram, quæ incipit: *Vnigenitus DEI Filius*: Annô Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimo tertio, sexto Idus Septembris, editam promulgavimus; in qua plures noxios articulos ex eodem libro excerptos censuris variis, quas respectivè, ut ajunt, hoc est, singuli aliquam saltem earum merebantur, notatos pro hujus Sanctæ Sedis more proscripsimus; cujusmodi remedij necessitatem tùm memoratus Ludovicus Rex, tùm plerique ex Gallia Episcopi supradicti iteratis obtestationibus inculcaverant, non aliter suborta dissidia sedari posse constanter affirmantes; totâ quidẽ CHRISTI Ecclesia Petrum per Nos, tametsi indi-

dignos, loquentem ſecuta, Apoſtolicam ejuſdem Conſtitutionis doctrinam debito obſequio, atque obedientiâ ſuſcepit; At Novatores, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident, ex inconſulta eorundem paucorum Antiſtitum hæſitatione ità animos extulerunt, ut incredibili audaciâ Conſtitutionem ipſam perversè interpretari, & inceſſere, pravæque etiam doctrinæ per impudentes calumnias inſimulare non erubuerint. Itaque, ut reluctantes illos Epiſcopos ad ſectanda Fratrum ſuorum veſtigia excitaremus, ac turbarum, malorumque omnium fomitem, quem improvida illa cunctatio miniſtraverat, extingveremus, canonicas animadverſiones poſt diuturna trium annorum longanimitatis experimenta adhibere conſtitueramus. Verùm Venerabiles Fratres noſtri S. R. E. Cardinales, quibuscùm rationem conſilij Noſtri communicare æqvum eſſe cenſuimus, Nos enixè obſecraverunt, ut pauliſper ſeverioribus remedijs ſuperſedere vellemus, dùm interim communibus literis Collegam ſuum Con-

ſtitu-

ſtitutioni noſtræ ſeſe ſubijcere detrectantem, atque ijſdem propterea animadverſionibus obnoxium ad unitatis, & pacis conſilia revocare conarentur. Eorum igitur precibus annuentes, ne quàm lenitatis viam intentatam relinqueremus, per illas ipſas inducias Nos quoquè ad univerſos Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Galliarum literas in formâ Brevis die xx. Novembris MDCCXVI. expeditas dedimus, quibus rerum geſtarum ſerie, & Eccleſiarum perturbatione uberiùs expoſitâ, illos hortati ſumus, ut diſſentientes Coëpiſcopos ſuos noſtro etiam nomine convenirent, eoſq; officij ſui fraternâ charitate admonerent, nec non omnibus Sacerdotalis ſolicitudinis argumentis, imploratoq;, noſtris etiam verbis, dilectiſſimi in CHRISTO filij noſtri Philippi Ducis Aurelianẽſis, ejuſdẽ Regni Rectoris, patrocinio, ad reparanda Eccleſiaſticæ unitatis, & diſciplinæ detrimenta, atquè ad avertenda Catholicæ Religionis pericula flectere ſatagerent. Speravimus quidem uberem ex ejuſmodi noſtris literis

fructum, junctoq; nobiscum præclarissimorum Galliæ Præsulum zelo, qui maximo sanè numero pro veritate certabant, factum iri credidimus, ut dissidentes Fratres, quòd Nobis adeò in votis erat, lucrari possemus. Atqui spe nostrâ frustratos confestim Nos vidimus, dolentesque clamare coacti sumus: sustinuimus pacem, & non venit, quæsivimus bona, & ecce turbatio; Et sanè tam gravis, ut qui ex adverso erant, illas ipsas nostras, & hujus Sanctæ Sedis voces varijs artibus penè intercludere tentaverint. Neque profectò feliciùs cesserunt officia illa, quæ Cardinales prædicti per impetratas à nobis, ut diximus, inducias præstiterunt. Quanquàm enim communi totius Sacri Collegij epistolâ, suasiones, consilia, obsecrationes, atq; omnẽ ministerij sui, fraternæq; benevolentiæ fidem, sedulitatem, ac solicitudinem adhibuissent, frustrà se tamen laborasse intellexerunt, neq; alium, præter inanes scandalorum, ac dissidiorũ expostulationes, sed sine voluntate veram amovendi causam, undè illa emerserant,

ſerant, operæ ſuæ fructum reportarunt.
Non tamen propterea concidimus animo, imò necdùm à mitioribus conſilijs receſſimus: nihil interìm curantes, quomodò homines modum hunc agendi noſtrum interpretarentur, quippè qui ſciremus DEO æquè per infamiam, & bonam famam ſerviendum eſſe. Itaq;, ut aberrantes in viam juſtitiæ ſvaviter revocaremus, iteratis ſæpiùs hortationibus noſtris, etiam preces addidimus, eundemque in ſcopum, privatis literis manu noſtrâ conſcriptis, ea omnia paternæ manſvetudinis officia implevimus, quæ ſuggerere nobis potuit Chriſtiana charitas, quæ patiens eſt, benigna eſt, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet. Plures intereà Gallicani Antiſtites non minùs ſapientiâ, & doctrinâ, quàm pietate, ac ſtudio tuendæ Religionis illuſtres, ex ijs ſcilicet, qui debitâ ſubmiſſione Conſtitutionem noſtram amplexi fuerant: dignitatis, & muneris ſui probè memores, votisq;, & officijs noſtris obſecundantes, favente etiam eorum conatibus memorato Philippo Duce,

ac

ac Rectore, curas omnes ſuas, aſſiduoſq; labores ad diſcordantium Fratrum animos permovendos enixè conferre nõ omiſerunt. Sed hæc omnia proſperum illum, quem ſummoperè præſtolabamur, exitum minimè habuerunt. Obſcurati ſiquidem ſunt renitentium oculi, ne viderent, ac obturatæ ſunt aures, ne audirent; adeò ut nonulli eorum, non ſine bonorum omnium luctu, hoſtiumq; Eccleſiæ plauſu, ad ea, inſuper publicè devenire auſi fuerint, quæ omnes ex vobis, quibus illa innotuerunt, improbaſſe nõ dubitamus, quæq; ipſimet, qui ea perpetrarunt, à Nobis, & à Sancta Romana Eccleſia palã, atq; perpetuò damnãda, atq; execrãda eſſe non ignorabant. Quarè Nos, qui ſupremo Divini Paſtoris mandato deeſſe nec poſſumus, nec debemus, quo & illius Oves paſcere, & Fratres noſtros confirmare præcipimur, animo nobiſcum reputantes, quod Verbum DEI non eſt alligatum, poſtquàm diù tentatis inutiliter conſilijs pacis hucuſq; ſiluimus, adhùc ulteriùs tacere Nobis non tutum, Chriſtiano autem Populo

per-

perniciosũ fore censemus. Ad vos proinde omnes ex unaquâq; Natione, quæ sub Cælo est, Christi fideles, paternas voces nostras dirigim9, quò primũ quidẽ doloris nostri participes, vestras nobiscũ ad Deum preces deferatis, ut supernâ adspirante gratiâ, qui hactenùs contumaces fuerunt, non jã ulteriùs alta sapientes, sed humilibus consentientes ad debitam cum cæteris Christi fidelibus in sana, Catholicâque Doctrinâ profitendâ veniant unitatem. Hoc nempe ex animo unice quærimus, hoc dies, noctesq;, nec sine lachrymis à Domino imploramus; nequé enim oblivisci potest mulier infantem suum, nec Sancta Romana Ecclesia filios suos. Deinde ne quis Christianum Populum seducere pergat inanibus verbis, vos omnes, ut necesse est, monitos volumus, & certos facimus, quod frustra, & quidem non sine fermento malitiæ, & nequitiæ, istiusmodi homines nobiscum in Doctrinâ Religionis consentire se jactant, dùm interim, Heterodoxorum exemplo præeunte, editam à Nobis Constitutionem,

quam universa Ecclesia veneratione debitâ complectitur, non modò alienis ab ipso verborum tenore interpretationibus, sed & apertis calumnijs superinductis, malignè carpere audent, & immanium errorum accusatione perstringere; perindè ac si ipsi soli, alijs CHRISTI fidelibus ubiq; gentium desipientibus, saperent, ipsi soli, reliquis cæcutientibus, lumen veritatis aspicerent. Nec profectò minor est illorum culpa, qui ut faciliùs incautis illudant, cum hæc ipsa moliuntur, eidem Constitutioni nostræ nequaquam adversari, sed solas declarationes, in rebus tamen apud cæteros omnes planè perspicuis, postulare se simulant, non quidem discere, sed tentare cupientes, ut Ecclesiam, si possint, quæstionibus inutilibus, & interminatis immisceant, & luci Catholicæ veritatis tenebras quoquo modo obscuritatis offundant. Ita sanè patientiâ nostrâ abutentes, Apostolicæ auctoritati obsequium, ac reverentiam se exhibere gloriantur illo ipso tempore, quo ei gravissimam inferunt injuriam;

Iisdem

Iisdem siquidem explicationum petitionibus satis apertè ostendunt, ideò se Cõstitutioni nostræ debitam obedientiam nondum præstitisse, quia verentur, ne per illam Catholica Dogmata convellantur: ne laudabilis, & ab hac Sanctâ Sede probata Ecclesiastica disciplina infringatur: neve demùm salubriores Christianorũ morum regulæ subvertantur; quod planè idem est ac vereri, ne defecerit Fides Petri, totaque CHRISTI Ecclesia magisterio Apostolicæ vocis imbuta à viâ veritatis, & salutis erraverit. Præterea, ut pessimæ causæ splendidum patrocinium concilient, præfatæque Constitutioni majorem undecumque invidiam faciant, se ab eâ suscipiendâ retardari affirmant, eò quod suspicentur per illam damnari Sententias, atq; Doctrinas, qvas Insignes Catholicorum Scholæ absque ullâ censura hactenùs tenuerunt, ac tradiderunt; cùm tamen, nisi ab antiquis semitis, Sanctorumq; Patrum vestigijs, imò & ab earundem Scholarum instituto, quod verbis profitentur, re ipsâ recessissent, probe

eminiſci deberent, quod illarum Principes, quorum nomina pertinaciæ ſuæ temerè prætendunt, quemadmodùm & cæteri illuſtriores Eccleſiæ Scriptores, ſuum ſemper eſſe duxerunt, ut ab Apoſtolicâ Sede diſcerent quid credere, quid tenere, quid docere deberent: ut ad illam ſcripta ſua examinanda, & emendanda dirigerent: ut inde lumen Catholicæ Fidei reciperent, ubi non poſſet Fides ipſa ſentire defectum: ut nemo eorum deniq; ſententiam ſuam adverſus Petri auctoritatem defenderet. Cæterum in hoc ipſo præpoſtero judicio conſvetum calumniandi morem non derelinquunt; niſi enim excæcaret eos malitia eorum, ac niſi diligerent magis tenebras, quàm lucem, ignorare non deberent ſententias illas, ac doctrinas, quas ipſi cùm erroribus per Nos damnatis confundunt, palàm, & libere in Catholicis Scholis, etiam poſt editam à Nobis memoratam Conſtitutionem, ſub oculis Noſtris doceri, atq; defendi, illaſq; propterea minimè per eam fuiſſe proſcriptas. Verùm

supercecidit ignis contentionis, & æmulationis, & non viderunt Solem lucidissimæ Veritatis. Hinc justo DEI judicio ambulantes in tenebris, nesciunt plane quò vadant: Scandalum siquidem de Constitutione Nostrâ comminiscuntur; sed se ipsos potius de pervicaci suâ inobedientiâ scandalum facere non agnoscunt. Sacrosanctam Episcopatûs Dignitatem exaltare se velle declarant: sed re ipsâ deprimunt, dum interim fraternitatem ipsi contemnunt, audacissimæ inferioris Cleri rebellioni fomentum tribuunt, universumque Ecclesiasticum Ordinem Laicis Tribunalibus, vel in ipsâ Religionis causa, indecorè, ac perperàm subijci non attendunt. De veteris, ac novæ Legis discrimine, tanquàm de re ipsis solis perspectâ, multa, & plerumq; inutiliter disputant, novæque præstantiam, quam omnes agnoscunt, & profitentur, inculcare non desinunt; utriusq; tamen Legis plenitudinem, quæ est dilectio, minimè observant. Charitatem nulli impensius laudant: nulli impu-

impudentiùs violant. Divinæ Gratiæ virtutem prædicant, quam Catholicus nullus negat: sed damnatis erroribus faventes Spiritui Gratiæ contumeliam faciunt. Quòd verò Nos de pusillorũ scandalo solicitos plurimùm excruciat, illud est, quòd dùm plerique eorum hæc faciunt, vel consentiunt facientibus, adhuc specioso quodam ementitæ severitatis amictu se contegentes, rigidioris doctrinæ gloriam captare non cessant, instituendæque in meliùs Christianorum vitæ, & ad normam Evangelij componendæ zelum magnificè ostentant. Quare Nos perniciosam hanc larvam, quæ animabus pretiosissimo CHRISTI sangvine redemptis certum parare posset exitium, palàm detrahere, urgente Nos Apostolici ministerij debito, volentes; ipsos primùm aberrantes Fratres, ut aliàs sæpè privatim fecimus, publice modò, & coram Universâ Ecclesiâ monitos facimus, ne sibi ulteriùs de falsâ exactioris disciplinæ famâ blandiantur; neque enim vera virtus absque humilitate, pietas absque obe-

obedientiâ, Christiana demùm perfectio absque charitate potest consistere. Porrò quæ humilitas? sensum proprium communi Fratrum sententiæ, quin & supremæ Beati Petri Cathedræ judicio obstinatè præferre? Quæ obedientia? Apostolicis definitionibus reluctari? Quæ tandem charitas, injurijs, & contumelijs agere, iras, rixas, & contentiones ubique disseminare? Agnoscant igitur, Divini luminis irradiante fulgore, quàm gravibus coram DEO, & Ecclesiâ reatibus, & periculis involvantur. Meminerint scriptum esse, quod quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus Idololatriæ est, nolle acquiescere. Omnipotentis DEI, qui superbis resistit, tremendum, & imminens sibi judicium timeant, Ecclesiæque pacem simul, & Reipublicæ tranquillitatem perturbare tandem aliquandò desistant. Reliquos deindè Vos omnes per Universum Terrarum Orbem Apostolicæ Fidei Cultores paternè admonemus, requirimus, & obtestamur, ut ad eos, qui veniunt

ad

ad Vos in veſtimentis ovium, probè dignóſcendos, certiſſimam illam, quam Dominus, ac Salvator noſter Nobis reliquit, Regulam adhibeatis, videlicet: A fructibus eorum cognoſcetis eos. Qui autem fructus iſti ſunt, ex eorum, qui Conſtitutioni Noſtræ ſeſe ſubmittere renuerunt, contumaciâ provenientes, toti jam penè Chriſtiano Orbi nimiùm perſpecti ſunt, & manifeſti; De illis propterea, ne acerbiſſimi doloris noſtri vulnera refricemus, prolixiùs eloqui libenter abſiſtimus. Nolite ergò, Filij dilectiſſimi, Voſq; potiſſimùm, qui ut loco, ita & periculo propinquiores eſtis, nolite effici participes eorum, nolite omni ſpiritui credere, doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci, ſed ſanam, & Orthodoxam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Doctrinam, quæ ſacrum Fidei depoſitum intemeratè ſervat, tutò ſequimini, & firmiter cuſtodite. Nos verò, quos cæteris zelo Domus Dei non minùs, quàm Dignitate, præire oportet, ut ingruentium tot malorum gravitati, quantùm rerum, & temporum

præ-

præsens conditio patitur, opportune occurramus, præsertim ne Pastores errantes, in errorem mittentes, disperdere, & dilacerare gregem Domini, nemine cohibente, prosequantur: Neve oves Christi, Nobis tacentibus, rapi in præcipitia se sinant, Universis CHRISTI fidelibus, quid interim gravissimâ hac in re Nos agere duxerimus, palam edicere, ac declarare statuimus. Noverint ergò omnes qui ubicunque terrarum Catholico nomine gloriantur, Nos, qui Unigeniti Filij DEI, & Salvatoris Nostri JESU CHRISTI vices, nullo licèt meritorum nostrorum suffragio, in terris gerimus, eos omnes, cujuscunque statûs, gradûs, Ordinis, & condititionis illi sint, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, aut aliâ quâlibet, etiam Cardinalatus Dignitate præfulgeant, qui memoratæ Constitutioni Nostræ debitam, & omnimodam obedientiam præstare hactenùs recusarunt, aut in posterùm recusare ausi fuerint, ut veros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filios non agnoscere: neque ut Nobis, & Beati Petri

Cathedræ, quod falsô autumant, adhærentes & consentientes, sed contrà potiùs, uti aperte inobedientes, ac notoriè contumaces, & refractarios habere, tenere, ac reputare; Et quoniam primò ipsi à Nobis, & Sanctâ Romanâ Ecclesiâ, si minus expressis verbis, factis certè, pertinacisq;, & obduratæ mentis multiplici significatione recesserunt, illos similiter à Nobis, tanquam à Nostrâ, & ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ charitate prorsùs segregatos haberi: nullamq; proindè Nobis, & ipsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ deinceps cum illis Communionem Ecclesiasticam extituram, donec (quod faxit DEUS) integre resipiscant, rejectâque penitùs audaciâ refragandi, per exhibitionem veræ obedientiæ, quam complures eorum Romano Pontifici Beati Petri Successori, ac Jesu Christi Vicario in ipsâmet solemni professione Catholicæ Fidei, interpositâ jurisjurandi Religione, ad Sancta Dei Evangelia sæpius spoponderunt, pristinæ charitati, & unitati ab eâdem Apostolicâ Sede restitui mereantur. Ad Vos

postre-

postremò, Venérabiles Fratres, Patriar-
chæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi,
cœterique omnes Ecclesiarum Præsules,
gaudium nostrum, & corona nostra, A-
postolicæ dilectionis nostræ sermonem
convertimus, hortantes Vos, & obsecran-
tes in Domino, ut pro eo, quo polletis,
Pastorali zelo, commissas Vobis Christi
Oves à venenatis pascuis, idest profana-
rum Vocum, & Doctrinarum novitati-
bus sedulò arceatis, simulque paternam
solicitudinem nostram in revocandis ad sa-
niora consilia quibuscumque dissidentibus
efficaciùs adjuvetis, ita ut Vobis indivul-
sam cum Sanctâ Romanâ Ecclesiâ in Do-
ctrinâ Fidei unitatem, quod jam prerique
Vestrum egregiè præstitistis, firmissimè
profitentibus, Christiani omnes agnoscant
Vos longè ab ijs esse, qui elongaverũt se à
Nobis, ac illorum damnabilem inobe-
dientiam unà Nobiscum aversari, & im-
probare, eosque, nisi resipuerint, à com-
munis societatis charitate prorsùs alienos
habere. Utinam qui Paternis hactenùs hu-
militatis nostræ vocibus reluctati sunt,

 Vobis

Vobis omnibus non modò arguentibus, obſecrantibus, & increpantibus ſed & ab eorum conſortio penitùs, abſtinentibus, erubeſcant, confundantur, & convertantur, detque illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem; ut ſecundùm Apoſtolicam Doctrinam, id ipſum tandem, dicamus omnes, & non ſint in Nobis ſchiſmata: ſimus autem perfecti in eodem ſenſu, & in eâdem ſententia, auxiliante Nobis per omnia gratiâ Domini Noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt honor, & gloria in ſæcula. Amen. Ut autem præſentes literæ ad omnium fidelium quibuſcumque locis exiſtentium notitiam faciliùs perveniant, volumus earum exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſticâ Dignitate conſtitutæ munitis, eamdem prorsùs fidem haberi, quæ ipſis originalibus literis haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ admonitionis, edicti, declarationis, hortationis, obſecrationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temera-

rio contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimo octavo, quinto Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri anno XVIII.

I. Card. Pro-Datarius. F. Card, Oliverius.

Visa de Curia L. Sergardus Pro-Abbrev.

L. Martinettus.

Loco ✠ plumbi

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo decimo octavo, Indictione undecima, die verò 8. mensis Septembris. Pontificatûs autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divinâ providentiâ Papæ XI anno ejus xviij. supradictæ Literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Magnæ Curiæ Innocentianæ, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Vrbis per me Antonium Placentinum Apostolicum Cursorem.

Ludovicus Cappellus Mag. Curs.

SANCTISSIMI D. N. DOMINI
CLEMENTIS
DIVINA PROVIDENTIA
PAPÆ XI.

Damnatio quamplurium Propositionum excerptarum ex Libro Gallico idiomate impresso, & in plures Tomos distributo, sub Titulo -- *Le nouveau Testament en François auec des reflexions morales sur chaque verset &c. A' Paris* 1699. Ac aliter -- *Abbregè de la morale de l' Evangile, des Actes des Apostres, des Epistres de S. Paul, des Epistres Canoniques, e de l' Apocalypse, ou Pensees Chretiennes sur le Texte de ces Liures Sacrez &c. A' Paris* 1693. & 1694.

Cum prohibitione ejusdem Libri, & aliorum quorumcunq; in ejus defensionē tàm hactenus editorum, qvàm in posterum edendorum.

ROMÆ, MDCCXIII.
Ex Typographia Reverēdæ Cameræ Apostolicæ.

Reimpressum VARSAVIÆ,
Typis S. R. M. Scholarum Piarum.
Anno Domini 1719.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum DEI.

Universis CHRISTI Fidelibus salutem & Apostolicam Benedictionem.

UNIGENITUS DEI Filius pro nostra, & totius Mundi salute filius hominis factus, dum Discipulos suos doctrinâ veritatis instrueret, universamque Ecclesiam suam in Apostolis erudiret, præsentia disponens, & futura prospiciens, præclaro, ac saluberrimo documento Nos admonuit, ut attenderemus à falsis Prophetis, qui veniunt ad Nos in vestimentis

Ovium, quarum nomine potiſſimùm demonſtrantur Magiſtri illi mendaces, & in deceptione illuſores, qui ſplendidâ pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt ſectas perditionis ſub imagine Sanctitatis: utq; faciliùs incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſeſe Divinæ Legis ſententijs, velut quibuſdam Ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adéòq; etiam ipſius novi Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam, aliorumq; perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui ſcilicet, à quo progeniti ſunt, mēdacij Parentis exemplo, ac magiſterio edocti, nullam omninò eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quàm ut ubi nefarij erroris ſubintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur authoritas.

His Nos verè divinis monitis inſtructi, ubi primùm, non ſinè intimà cordis noſtri amaritudine, accepimus Librum quēdam Gallico idiomate olim impreſſum, & in plures Tomos diſtributum, ſub titu-

lo--

lo-- *Le Nouveau Testament en François, aues des reflexions morales sur chaque verset &c. A' Paris* 1699. ; Aliter verò *Abbregè de la morale de l Evangile, des actes des Apostres, des Epistres de S. Paul, des Epistres Canoniques, e de l' Apocalypse, ou Pensees Chretiennes sur le Texte des ces Liures Sacrez &c. A' Paris* 1693. & 1694. : tametsi aliàs à Nobis damnatum, ac revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiscentem, adhùc tamen tanqvàm ab omni errore immunem, à pluribus haberi, CHRISTI fidelium manibus passim obtrudi, ac nonnullorum nova semper tentantium consilio, & operâ studiosè nimis quaqua versùm disseminari, etiam Latinè redditum, ut perniciosæ institutionis contagium, si fieri possit, pertranseat de gente in gentem, & de Regno ad Populum alterum : versutis hujusmodi seductionibus, atquè fallacijs creditum Nobis Dominicum Gregem in viam perditionis sensim abduci summopere doluimus : adeòq; Pastoralis non

 mi-

minùs curæ noſtræ ſtimulis, quàm frequentibus Orthodoxæ Fidei Zelatorum querelis, maximè verò complurium Venerabilium Fratrum, præſertim Galliæ Epiſcoporum, literis ac precibus excitati, gliſcenti morbo, qui etiam aliquandò poſſet in deteriora quæque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipſam ingruentis mali cauſam providæ noſtræ conſiderationis intuitum convertentes, perſpicuè novimus ſummam hujusmodi Libri perniciem ideò potiſſimum progredi, & invaleſcere, quòd eadem intus lateat, & velut improba ſanies, nonniſi ſecto ulcere foras erumpat; cùm Liber ipſe primo aſpectu legentes ſpecie quadam pietatis illiciat; molliti enim ſunt ſermones ejus ſuper oleum: ſed ipſi ſunt jacula; & quidem, intento arcu ità ad nocendum parata, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Nihil propterea opportuniùs, aut ſalubriùs præſtari à Nobis poſſe arbitrati ſumus, quàm ſi fallacem Libri doctrinam generatim

ratim

ratim solummodò à Nobis hactenùs indicatam, pluribus singillatim ex eo excerptis Propositionibus, distinctiùs, & aperptiùs explicaremus, atque universis CHRISTI fidelibus noxia zizaniorum semina é medio Tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ità nimirùm denudatis, & quasi in propatulo positis, non uno quidem, aut altero, sed plurimis, gravissimisquè, tùm pridem damnatis, tum etiam novè adinventis erroribus, planè confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes tandem apertæ jam, manifestæque veritati cedere compellantur.

Id ipsum maximè è re Catholica futurum, & sedandis præsertim in florentissimo Galliæ Regno exortis ingeniorum variè opinantium, jamque, in acerbiores scissuras protendentium dissidijs apprimè proficuum: Conscientiarum deniq; tranquillitati, perutile & propemodum necessarium, non modò præfati Episcopi; sed & ipse inprimis Charissimus in CHRISTO Filius Noster Ludovicus Franco-

rum

rum Rex Christianissimus, cujus eximium in tuenda Catholicæ Fidei puritate, extirpandisq; erroribus Zelum satis laudare non possumus, sæpiùs Nobis est cõtestatus; repetitis propterea verè pijs, & Christianissimo Rege dignis officijs, atq; ardentibus votis à Nobis efflagitans, ut instãti animarũ necessitati prolatâ qvãtotius Apostolici censurâ Judicij consuleremus.

Hinc adspirante Domino, ejusq; cœlesti ope confisi, salutare opus sedulò, diligenterq;, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus; ac plurimas ex prædicto Libro, juxta supra recensitas respectivè editiones, fideliter extractas, & tùm Gallico, tùm Latino idiomate expressas Propositiones à compluribus in Sacrâ Theologiâ Magistris, primò quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus accuratè discuti, deindè verò coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quàm maximâ diligentiâ, ac maturitate, singularum insuper Propositionum cum ipsomet Libri

Textu

Textu exactissimè facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus, hujusmodi autem Propositiones sunt, quæ seqvuntur, videlicet--

1. *QVid aliud remanet animæ, quæ DEVM, atquè ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?*

2. *IESV CHRISTI gratia, principium efficax boni cujuscunque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illa, non solùm nihil fit, sed nec fieri potest.*

3. *In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis.*

4. *Ità Domine; Omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.*

5. *Quando DEVS non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviunt,*

viunt, nisi ad illud magis obdurandum.

6. *Discrimen inter Foedus Iudaicum & Christianum, est, quod in illo* DEVS *exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto verò* DEVS *peccatori dat, quod jubet, illum suâ gratiâ purificando.*

7. *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo* DEVS *illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ verò felicitas non est admitti ad fœdus, in quo* DEVS *nobis donat, quod petit à nobis.*

8. *Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi inquantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod* DEVS *nobis præcipit.*

9. *Gratia* CHRISTI, *est gratia suprema, sinè qva confiteri* CHRISTVM *nunqvam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.*

10. *Gratia est operatio manus Omnipotentis* DEI, *quam nihil impedire potest, aut retardare.*

11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis* DEI, *jubentis, & facientis, quod jubet.*

12.

12. *Quando DEUS vult salvare animam, quocumquè tempore, quocumq; loco effectus indubitabilis sequitur Voluntatem DEI.*

13. *Quando DEUS vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.*

14 *Quantumcunq; remotus à salute sit Peccator obstinatus, quando IESUS se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, accurrat sese humiliet, & adoret Salvatorem suum.*

15. *Quando DEUS mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur unctione sui Spiritûs, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.*

16. *Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti.*

17. *Gratia est vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad IESUM CHRISTUM; quicumq; ad eum non venit, post quam audi-*

vit vocem exteriorem Filij, nullatenùs est doctus à Patre.

18. *Semen verbi, quod manus* DEI *irrigat, semper affert fructum suum.*

19. DEI *gratia nihil aliud est, quàm ejus Omnipotens voluntas: hæc est idea, quam* DEVS *ipse Nobis tradit in omnibus suis Scripturis.*

20. *Vera gratiæ idea est, quod* DEVS *vult sibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.*

21. *Gratia* IESV CHRISTI *est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela, & imitatio operationis* DEI *incarnantis, & resuscitantis Filium suum.*

22. *Concordia Omnipotentis operationis* DEI *in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illicò nobis, in Incarnatione, veluti in fonte, atquè Archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ità gratiæ, atq; ita dependentes à* DEO *sunt, sicut ipsa originalis operatio.* 23.

23. *DEVS ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quâ Creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*

24. *Iusta idea, quam Centurio habet de Omnipotentia DEI, & IESV CHRISTI, in sanandis Corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate.*

25. *DEVS illuminat animam, & eam sanat æquè ac corpus sola sua voluntate, jubet, & ipsi obtemperatur.*

26. *Nullæ dantur gratiæ, nisi per Fidem.*

27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.*

28. *Prima gratia, quam DEVS concedit Peccatori, est peccatorum remissio.*

29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.*

30. *Omnes, quos DEVS vult salvare per CHRISTVM, salvantur infallibiliter.*

31. *Desideria CHRISTI semper habent suum effectum; pacem intimo cordium infert; quando eis illam optat.*

32.

32. IESVS CHRISTVS se morte tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos, idest Electos, de manu Angeli exterminatoris.

33. Proh quantum oportet bonis terrenis, & sibimetipsi renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi u titâ dicam, appropriandi CHRISTVM IESVM, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit Sanctus Paulus dicens: Qui dixerit me, & tradidit semetipsum pro me.

34. Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.

35. Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ, & integræ.

36. Differentia essentialis inter gratiam Adami, & status innocentiæ, ac gratiam Christianam, est, quod primam unusquisquè in propria persona recepisset: ista verò non recipitur, nisi in persona IESV CHRISTI resuscitati, cui nos uniti sumus.

37. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata; gratia Christiana nos sanctificando in IESV CHRISTO, est omnipotens, & digna Filio DEI.

38.

38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.*

39 *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se præcipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.*

41 *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire, nisi à Deo, & sine gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum DEUM, loco affectuum adorationis, gratitudinis & amoris.*

42. *Sola gratia CHRISTI reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei; sine hoc nihil, nisi impuritas, nihil, nisi indignitas.*

43. *Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato; adeò ut Spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus Mundi.*

44. *Non sunt, nisi duo amores, unde*

voli-

volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; Amor DEI; qui omnia, agit propter DEVM; quemqve DEVS remuneratur, & Amor, quo nos ipsos, ac Mundum diligimus, qui quod ad DEVM referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.

45. *Amore DEI in corde Peccatorum non amplius regnante, necesse. est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesq; actiones ejus corrumpat.*

46. *Cupiditas, aut charitas, usum sensuum bonum vel malum faciunt.*

47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons est Charitas. Quando DEI amor est illius principium interius, & DEI gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius alioquin non est, nisi hypocrisis aut falsa justitia.*

48. *Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ nisi aberratio, & nisi peccatum sinè Fidei lumine, sine CHRISTO, & sine charitate.*

49. *Vt nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore DEI.*

50. *Frustra clamàmus ad DEVM, Pater mi: si Spiritus Charitatis non est ille qvi clamat.*

51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per Charitatem.*

52. *Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquam in suo germine. & semine; Sed hæc Fides non est absq; amore & fiducia.*

53. *Sola Charitas Christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad DEVM, & IESVM Christum.*

54. *Sola Charitas est quæ DEO loquitur, eam solam DEVS audit.*

55. *DEVS non coronat, nisi Charitatem; qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.*

56. *DEVS non remunerat nisi Charitatem, quoniam Charitas sola DEVM honorat.*

57. *Totum deest Peccatori, quàndo ei deest spes, & non est spes in DEO, ubi non est amor DEO.*

58. *Nec DEVS est, nec Religio, ubi non est Charitas.*

59. *Oratio Impiorum est novum peccatum, & quod DEUS illis concedit, est novum in eos judicium.*

60. *Si solus supplicij timor animat pœnitentiam, quò hæc est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem.*

61. *Timor non nisi manum cohibet, cor autem tamdiù peccato addicitur, quamdiù ab amore justitiæ non ducitur.*

62. *Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram DEO.*

63. *Baptizatus adhuc est sub lege sicut Iudæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.*

64. *Sub maledicto legis, nunquam fit bonum, quia peccatur sivè faciendo malum, sivè illud non nisi ob timorem evitando.*

65. *Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt, absq; eo quod ullum DEO dederint filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.*

66. *Qui vult DEO appropinquare, nec debet ad ipsum uenire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum natura-*

turalem, aut per timorem, ficuti beftiæ, fed per fidem, & per amorem ficuti filij.

67. *Timor fervilis non fibi repræfentat* DEVM, *nifi ut Dominum durum, imperiofum, injuftum, intractabilem.*

68. DEI *bonitas abbreviavit viam falutis claudendo totum in Fide, precibus.*

69. *Fides, ufus, augmentum, & præmium Fidei, totum eft donum puræ liberalitatis* DEI.

70. *Nunquam* DEVS *affligit innocentes, & afflictiones femper ferviunt, vel adpuniendũ peccatũ vel ad purificãdũ peccatorẽ.*

71. *Homo ob fui confervationem poteft fefe difpenfare ab ea lege, quam* DEVS *condidit propter ejus utilitatem.*

72. *Nota Ecclefiæ Chriftianæ eft, quod fit Catholica; comprehendens, & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos, & juftos terræ, & omnium fæculorum.*

73. *Quid eft Ecclefia, nifi cætus Filiorum* DEI *manentium in ejus finu, adoptatorum in* CHRISTO, *fubfiftentium in ejus perfona, redemptorum ejus fangvine, viventium ejus fpiritu, agentium per ejus*

gratiam & expectantium gratiam futuri sæculi.

74. *Ecclesia, sivè integer Christus, Incarnatum verbum habet ut Caput, omnes verò Sanctos ut membra.*

75. *Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum CHRISTVS est Caput, Vita, subsistentia, & persona; Vnus solus CHRISTVS, compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator.*

76. *Nihil spatiosius Ecclesiâ DEI, quia omnes Electi, & Iusti omnium Sæculorum illam componunt.*

77. *Qui non ducit vitam dignam Filio DEI & membro CHRISTI, cessat interius habere DEVM pro Patre, & CHRISTVM pro Capite.*

78. *Separatur quis à Populo Electo, cujus figura fuit Populus Iudaicus, & Caput est IESVS Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quàm non credendo Evangelio.*

79. *Vtile, & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi*

generi studere, & cognoscere spiritum, Pietatem, & Mysteria Sacræ Scripturæ.

80. Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.

81. Obscuritas Sancta verbi Dei non est Laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

82. Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum, damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.

83. Est illusio sibi persvadere, quod notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis, lectione sacrorum Librorum. Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba Virorum scientia, ortus est scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses.

84. Abripere è Christianorum manibus novum Testamentum, seù eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis CHRISTI os obturare.

85. Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelij, est interdicere usum luminis filijs lucis, & facere

cere

cere ut patiantur ſpeciem quandam excommunicationis.

86. *Eripere ſimplici Populo hoc ſolatium, jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contra jus praxi Apoſtolicæ, & intentioni* DEI.

87. *Modus plenus ſapientiâ, lumine & Charitate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritioni, & incipiendi, adminus, ſatisfacere juſtitiæ* DEI, *antequam reconcilientur.*

88. *Ignoramus qvid ſit peccatum, & uera pœnitentia, qvando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem.*

89 *Quartus decimus gradus converſionis Peccatoris eſt, quod, cum ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ.*

90. *Eccleſia authoritatem excommunis candi habet, ut eam exerceat per primo, Paſtores de conſenſu, ſaltem præſumpto totius Corporis.*

91.

91. Excommunicationis injustæ metus, nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: Nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia, videmur ab ea expulsi, quando DEO, IESV Christo, atq; ipsi Ecclesiæ per Charitatem affixi sumus.

92. Pati potiùs in pace excommunicationem, & anathema injustum, quàm prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum: tantùm abest, ut sit erigere se contra Authoritatem, aut scindere unitatem.

93. IESVS quandoq; sanat, vulnera quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit, sinè ipsius mandato; IESVS restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

94. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

95. Veritates eò devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisquè Christianis, & modus eas prædicandi est veluti idi-

oma

oma incognitum: adeò remotus est à simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium; neqve satis advertitur, qvod hic defectus sit unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ DEI in filios suos.

96. *DEUS promittit, ut omnes potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ.*

97, *Nimis sæpe contingit membra illa, quæ magis sanctè, ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici, atqve tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata; sed Iustus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.*

68, *Status persecutionis, & pænarum, qvas qvis tolerat, tanqvam Hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumqve probatio est, & maximè meritoria, ut pote qvæ facit hominem magis conformem IESV CHRISTO.*

99. *Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie*

quo

qvo ad multos in odorem mortis id, qvod
DEVS in sua Ecclesia posuit, ut in ea
esset odor vitæ, V. G. bonos libros, instru-
ctiones, sancta exempla &c.

100. Tempus deplorabile, qvo credi-
tur honorari DEVS, persequendo verita-
tem, ejusqve discipulos. Tempus hoc adve-
nit - - - - - Haberi, & tractari à Reli-
gionis Ministris, tanquam impium, & in-
dignum omni commercio cum DEO, tan-
quam membrum putridum, capax corrum-
pendi omnia in societate Sanctorum, est ho-
minibus pijs morte corporis mors terribilior.
Frustra quis sibi blanditur de suarum inten-
tionum puritate, & zelo quodam Religi-
onis, persequendo flammâ, ferroq; viros
probos, si propriâ passione est excæcatus,
aut abreptus alienâ, propterea quod ni-
hil vult examinare. Frequenter credimus
sacrificare DEO impium, & sacrificamus
Diabolo DEI Servum.

101. Nihil spiritui DEI, & doctri-
næ IESV CHRISTI magis opponitur,
quàm communia facere juramenta in Ec-
clesia, quia hoc est multiplicare occasiones

 peje-

pejerandi, laqueos tendere infirmis, & Idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas DEI aliquando d serviant consilio Impiorum.

Auditis itaq; tum voce, tum scripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumquè Theologorum suffragijs, diviniq; inprimis luminis, privatis ad eum finem, publicisq; etiam indictis precibus, implorato præsidio; omnes & singulas Propositiones præinsertas, tanquam falsas, captiosas, malè sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ, & ejus praxi injuriosas, neq; in Ecclesiam solùm, sed etiam in Potestates sæculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, nec non hæreticis, & hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluriès damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasquè hæreses, & potissimùm illas, quæ in famosis Jãsenij propositionibus.

& qui-

& quidem in eo ſenſu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeſtè innovantes, reſpectivè, hâc noſtrâ perpetuò valiturâ Conſtitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

Mandantes omnibus utriusq; ſexûs CHRISTI Fidelibus, ne de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quàm in hac eadem Noſtra Conſtitutione continentur; ita ut quicunque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, Eccleſiaſticis cenſuris, alijsque contra ſimilia perpetrantes à Jure ſtatutis pœnis ipſo facto, abſque alia declaratione ſubjaceat.

Cœterùm per expreſſam præfatarum Propoſitionum reprobationem, alia in eodem Libro contenta nullatenùs approbare intendimus; cum præſertim in decurſu examinis complures alias in eo deprehenderimus propoſitiones illis, quæ, ut ſupra, damnatæ fuerunt, conſimiles,

& affines, iisdemque erroribus imbutas: nec sanè paucas sub imaginario quodam, veluti grassantis hodiè persecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, easque falso Christianæ patientiæ nomine prædicantes; quas propterea singulatim recensere, & nimis longum esse duximus, & minimè necessarium; ac demùm, quod intolerabiliùs est, Sacrum ipsum novi Testamenti Textum damnabiliter vitiatum compererimus, & alteri dudùm reprobatæ versioni Gallicæ Montensi in multis conformem: à vulgata verò editione, quæ tot sæculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, & aberrantē, pluriesquè in alienos, exoticos ac sæpè noxios sensus, non sinè maxima perversitate detortum.

Eundem propterea Librum, ut potè per dulces sermones, & benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsa piæ institutionis imagine, seducendis Innocētium cordibus longè accommodatum, sive

præ-

præmissis, sive alio quovis titulo inscriptum, ubicunque, & quocunque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hactenus impressum, aut in posterum (quod absit) imprimendum, auctoritate Apostolicâ tenore præsentiũ iterum prohibemus, ac similiter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes, & singulos in ejus defensionem tam scripto, quàm typis editos, seu forsan (quod DEUS avertat) edendos libros, seu libellos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis CHRISTI Fidelibus sub pœna excommunicationis per contra facientes ipso facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

Præcipimus insuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, alijsque Locorum Ordinarijs; nec non hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscunque per censuras, & pœnas præfatas, aliaquè Juris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachij sæcularis

auxilio, omninò coërceant, & compellant.

Volumus autem, ut earundem præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsùs adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergò hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo decimo tertio, sexto Idus Septembris, Pontificatûs Nostri Anno Decimo tertio.

I. Card: Prodatarius.

F. Oliverius.

Visa de Curia L. Sergardus.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

L. Martinettus.

Anno à Nativitate Domini Nostri IESV CHRISTI millesimo septingentesimo decimotertio, Indictione sextâ, die verò decimâ Septembris, Pontificatûs Sanctissimi in CHRISTO Patris, & Domini Nostri Domini CLEMENTIS, Divinâ providentiâ Papæ XI. Anno decimo tertio supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Ecclesiæ Lateranen: & Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in alijs locis solitis, & consvetis Vrbis per me Petrum Romulatium Apostolicum Cursorem.

Antonius Placentinus Magister Cursorum.

Szembek

Episcopus Posnaniensis

Epistola Pastoralis

Reimpressum Varsav: Typis S.R.M. Scholarum Piarum

1718

12o

36 k. n.

A2 D - D3

bez oprawy

Szembek

Episcopus Posnaniensis

Epistola
Pastoralis

Reimpressum Varsav: Typis S.R.M.
Scholarum Piarum

120 1718

36 k.n.

A2 D-D3

bez oprawy